

tempore Patavini hinc, inde Carnorum exercitus, in Taurisinum agrum ingressi, omnia terrore & populatione complent. Gerardus Caminensis sub primos belli motus a Venetis ad hostes descivit, Meta oppido Riccardo fratri adempto, quem ob Pantaleonis Barbi filiam in matrimonium ductam apparebat Venetorum arma eo bello secuturum. Hæc in Venetis. In ora interim Ligustica Carretenses reguli, Bernabovis Venetorumque opibus freti, nonnulla Genuensibus oppida ademerunt.

Nec hostes ipsi interea quievere, sed Augustam Cypri urbem & emporium nobilissimum subita vi occupant. Injuriam illatam causam inde ortam affirmant, quod quum in Petrini adolescentis, filii Petri Regis, nuper domestica prodicione cæsi, solemni convivio, quod ille per eos dies quibus regni diadema recepit, hospitibus & insulani sapius instauravit, Veneti Genuensesque, qui plurimi negotiorum causa in insula erant, vocati adessent, accidit ut veteri æmulatione ortum sit medio convivio inter eos certamen, quod Genuensium culpa contractum multi credere, qui indigne ferrent, Venetos sibi in honore a Rege prælatos. Armis itaque media regia dimicatum; faventibusque Venetorum causæ Cypriis, Genuensium nonnulli ferro occubuerunt, plures vulnerati, reliqui ex convivio ignominiose ejecti. Ea injuria Ligur adactus ex insula cum rebus omnibus excessit. Nec ita longo interjecto tempore instructa classe, urbem ipsam repente adortus occupat, vine an prodicione, illi quos vidimus, haud satis perspicue tradunt. Multos in regiam cædis ultionem, & in his Regis fratrem obtruncant, eorum bona diripiunt. Adolescens metuens ab Ligure, medio tumultu cum matre urbe aufugit: atque ita nobilissimum Cypri emporium in Genuensium potestatem concessit. Venit mater adolescentis in suspicionem, ut in ultionem mariti urbem Genuensibus tradiderit: quod quum parricidarum cædes bonorumque direptio, ut credam, faciunt, tum quia hostile nihil in eam & filium Genuenses moliti dicuntur. Tenente itaque Phamagustam Ligure, quum interim Vicecomes filiam

*Genuenses
Phamagusta
in Cypri vi
potiuntur.*